



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs XXI. De Testibus Cogendis Vel Non.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

TITVLVS XXI.

DE TESTIBUS COGENDIS VEL NON.



Ordinariè testes à partibus rogati, aut producti vt testimonium in iudicio proferant, si reculent, à superiore suo cogi possunt, vti dictum est in *c. 1. de testib.* interdum tamen excusantur, ut cogi non possint, quâ de re in *hoc. tit.* tractandum.

CAPITVLVM I.

Causam.

PARAPHRASIS.

Causam matrimonialem Alexander III. commiserat quibusdam iudicibus, hic verò mandat Episcopo huius loci, vt moneat testes, qui ab vtrâque parte rogati ac producti fuerunt, ne veritatem occultent, sin autem ex odio, gratiâ, timore subtrahere se velint, ipsos per césuram Ecclesiasticam compellat ad ferendum testimonium coram iudicibus delegatis, vel nuntio, quem ad testimonium depositiones accipiendas destinârunt.

S V M M A R I V M.

1. *Iudex Ecclesiasticus testificari renuentem in civili causa, etiam censuris ad id cogere debet.*
2. *Iudex potest receptionem testium etiam in causa criminali tabellioni vel alteri industria persona committere.*

NOTA I. Iudex Ecclesiasticus imprimis hortari debet eos, qui in testimonium rogantur ac producuntur, vt veritatem quam nōdunt, edicere velint, sin autem se inobedientes præbeant & causâ non iustâ allegatâ testificari renuant, etiam censuras comminari, ac denique inferre iudex debet, hoc tamen intelligitur si civiliter agatur maximè in causâ matrimoniali, quid verò di-

endum sit in causâ criminali, infra patebit.

Nota II. Iudex receptionem & examen testium etiam in causâ criminali adeoque arduâ tabellioni aut alteri personæ industria committere potest, vti constat ex *c. 2. de iudiciis. in 6.* potest autem id dupliciter fieri, sicuti notat *gl. in Clement. 2. verb. iudices. de off. delegati. & Abbas hic. n. 1. Felin. n. 2.* 1. Vt actus jurisdictionis alteri committatur, qui aduersarium citet ad videndum jurare testes, exceptiones audiat & examinet, iuramentum à testibus exigat, interrogatoria à parte accipiat, testium multitudinem refrænet, inobedientes vel aliter peccantes puniat, juxta *l. Nullum. 18. de testib.* 2. Vt solum ministerium seu nuda exsecutio committatur, videlicet si post receptos atque approbatos testes & exactum ab iis iuramentum, committatur alicui examen testium super interrogatoriis jam formatis, ipsique traditis, & hic propriè nuntius seu exsecutor ministerialis appellatur.

Quæres: cur Pontifex scripserit ad ordinarium, vt testes compellat ad ferendum testimonium, cum tamen delegati iudices id facere potuissent, juxta *c. Præterea. 5. de off. deleg.* Resp. cum *gl. hic. n. 1.* quia ordinarius interdum id meliùs & efficacius efficere potest, quam ipsam ob causam interdum Ordinarius exsequitur sententiam latam à delegato Pontificio, si ipsi mandetur *c. Significasti 7. c. In litteris. 9. de off. delegati.*

CAPITVLVM II.

Cum super.

PARAPHRASIS.

Alexander III. hic scribit ad Presbyteros Pontix, cum ipsorum testimonium necessarium sit in causâ, quæ inter Episcopum Prænestinum, & Abbatem subla-

centem agitur, ut ad Sedem Apostolicam accedant testificaturi, sin autem non venerint, censuram suspensionis ab officio & beneficio incurrant ipso facto, quod si nec postea accesserint, excommunicationis & depositionis sententiam eisdem comminatur.

S Y M M A R I V M.

1. *Iudex Ecclesiasticus sub comminatione censurae precipere potest testibus, ut veniant ad testimonium ferendum, eamque inserere citatorio.*
2. *Gradatim per censuras aduersus contumacem procedendum.*
3. *In casu necessitatis possunt testes ex remoto loco ad tribunal euocari, expensis tamen eos producentis.*
4. *Extra casum necessitatis commissio fieri debet, ut testes in loco, ubi sunt, audiantur.*

1 **N**OTA I. Iudex Ecclesiasticus sub comminatione censurae, seu ipso facto, seu per sententiam incurrendae precipere potest testibus, quorum testimonium in causa civili necessarium est, ut veniant ad veritatem dicendam, & potest comminationem citatorio inserere, ut hic apparet, necesse tamen est, ut praecesserit aliqua inobedientia, aut contumacia alioquin inciuile esset censuram comminari, sicuti *Felin. hic notat. n. 2.*

2. **N**ota II. Congruum omnino est, ut iudex Ecclesiasticus aduersus contumacem procedat, prius per censuram suspensionis aut interdicti, Papa vero crescente inobedientia ac contumacia ad excommunicationem, denique ad depositionis poenam, ita notat gl. magna hic, cum ait, quod crescente contumacia crescere debeat & poena, sequitur *Antonius & Imola hic. n. 4. Felin. n. 1.*
3. **N**ota III. Si necessarium sit, testes quandoque ex loco remoto euocari possunt ad tribunal, sed debet id fieri expensis eius partis quae producere vult, juxta *c. Statutum. 11. §. Pro ferendo. de rescriptis. atque hoc casu,*

si causa valde ardua sit, v.g. matrimonialis, aut graue periculum in mora existat, tum iudex Ecclesiasticus etiam nullam cognitam contumaciam, citatorio inferere posset criminatorem censuram, nisi die definito adsint, ut tradit *Abbas. in c. 1. not. 2. hoc tit.* sin autem necessitas non postulet, tunc commissio fieri debet, ut testes in loco, ubi sunt, audiantur, ne frustra labores & expensae fiant.

CAPITVLVM III.

Super eo.

P A R A P H R A S I S.

Titius conueniebatur coram iudice super commisso crimine; ipse factum negat, quaeritur num testes, qui inter fuerant, ad testificandum cogendi sint. Respondet Papa, si factum notorium sit, opus non esse testibus, quia notoria probationem & iudicarium ordinem non requirunt, sin autem notorium non sit, tum testes monendi sunt, ut veritatem dicant, non autem cogendi, nisi iudex intelligat eos aduersae partis timore a testimonio ferendo impediti, quanquam secundum humani juris rigorem indistincte cogi possint.

S Y M M A R I V M.

1. *Quae notoria sunt, non indigent probatione aut ordine iudiciario.*
2. *In causis civilibus testes ordinariè cogi possunt à iudice, seu superiore.*
3. *Recensentur exceptiones, secundum aequitatem Canonicam recipitur excusatio testium, nec facile coguntur, nisi cogat necessitas, aut maligne se à testimonio ferendo subtrahant.*
4. *Aliqua persona privilegiata, ut valeridarii, milites in expeditione, ordinariè non coguntur ad testimonium ferendum.*
5. *Volentes tamen admittuntur, inuita si cogantur, nullum est eorum testimonium, nisi id fiat in defectum aliorum, & veritas per alios haberi nequeat.*

6. *Inve*

6. Jure Canonico privilegiatus non cogitur testari, nisi ostendatur testimonium eius esse necessarium, secus est in non privilegiato.
7. Privilegiatus adhibitus testis in testamento, vel contractu, sic circa illud lis oriatur, officium testis non potest declinare.
8. In causa criminali etiam laici testari non tenentur.
9. Subiunguntur aliquot limitationes.

NOTA I. Quæ notoria sunt, non indigent probatione aut ordine judiciario. *c. Tua. 8. de cohabit. Cleric. c. de manifesta. 17. causa. 2. q. 1.* nec obstat, tamen si pars neget, si quidem ut *Abbas ait hic*: negatio partis non inficit notorium, nec reddit rem dubiam. Procedunt autem hæc maximè in criminibus, sed in contractibus, alia ratio est, quia licet notorium sit, contractum præcessisse, tamen de formâ, qualitatibus, & requisitis ad obligationem plerumque aliquid latere potest, ut proinde pars negans seu contradicens intentionem actoris ad exceptiones admitti debeat, uti notavit *Innoc. cit. c. Tua. n. 9.*

NOTA II. Testes prius monendi sunt, ut testimonium ferant, sin autem recusent, tunc spectato jure Canonico cogi non debent, nisi se timore partis aduersæ subtrahant.

Sed ut quæstio plenè tractetur, num testis à iudice cogi possit ad testificandum, Dico **I.** In causis civilibus testes ordinariè cogi possunt à iudice seu superiore ita DD. in *c. 10. hoc. tit.* nam id ob publicam necessitatem receptum est, ne veritas cum præiudicio partis celetur. *c. 2. causa. 14. q. 2.* accedit, quod ferre testimonium sit vnum ex muneribus seu actibus publicis & necessariis. *argum. l. 1. ff. de testib. & tradit Gail. lib. 1. obseru. 100.*

Excipe I. Secundùm æquitatem Canoniam recipitur excusatio testium, nec facile coguntur, præterquam si eorum testimonium necessarium sit, quia alii rem non ita cognitam habent. *c. 2. hoc. tit.* aut si amore seu favore vnius partis aut odio

vel timore alterius partis se subtrahere velint. *c. 1. & penult. hoc. tit.* id verò præsumendum est, si quis rogatus testari nolit, nisi excusationem afferat & ostendat secundùm *gl. in cit. c. 10. verb. timore. Panorm. ibid. n. 5. & 6.* vbi addit oriri præsumptionem doli seu malitiæ aduersus testem, si testimonium ferre nolit, nisi ea præsumptio per aliam præsumptionem elidatur, ut si sit Religiosus, aut similis persona quæ iudiciale iuramentum facere veretur, imò vniuersim de Clericis dicitur in *c. Statutum. 38. causa. 2. quest. 6.* quod ad testimonium iudiciale compelli non debeant, intelligitamen, nisi eorum testimonium necessarium sit, vel nisi favore, odio aut timore se subtrahant, uti limitat *Farin. q. 78. n. 6.* vbi monet, id non esse præsumendum, sed contra ipsos ostendendum.

Excipe 2. Aliquæ personæ sunt privilegiatæ, quæ ad ferendum testimonium ordinariè non coguntur. *l. Inuiti 8. de testibus.* videlicet valetudinarii, milites in expeditione, qui reipublicæ aut aliâ causâ necessariâ absunt, vel aliter legitimè impediti sunt, quo minus accedere possint, de quibus *Farin. q. 78. cap. 2.* volentes tamen admittuntur, cum nemo privilegio suo uti cogatur, secundùm *gl. in cit. l. Inuiti. verb. non licet.* sin autem inuiti contra jus cogantur, testimonium eorum nullum est, teste *Ludov. Carerio in pract. crimin. de indicis. §. ult. n. 10. Farin. q. 78. n. 1.*

Præterea in defectum aliorum, siue si veritas per alios testes cognosci nequeat, tunc etiam privilegiati coguntur secundùm *gl. cit. & sumitur ex c. 2. causa. 14. q. 2.* vbi similiter dicitur sacerdotes non esse cogendos ad testificandum in causâ civili, præterquam si veritas aliter cognosci nequeat, teste *gl. ibid. verb. occultentur.* aut si ostendatur, quod malitiosè se subtrahat, videlicet odio vnius partis, aut timore, vel favore, quamobrem inter personas privilegiatas & non privilegiatas discriminè est, spectato jure Canonico, quod privilegiatus non cogatur testari, nisi ostendatur testimonium eius necessariū esse, ne alioquin jus partis periclitetur, vel

vel ostendatur, quod malitiosè se subtrahat; at verò non priuilegiatus, si munus testandi declinare velit, ostendere debet iustam se recusandi causam habere, & testimonium eius necessarium non esse, quia per alios veritas cognosci possit. Denique secundam exceptionem limitant DD. apud *Farin. n. 118.* quod priuilegiatus, si contractui aut testamento testis adhibitus sit, ac postea circa illud lis iudicaria oriatur, quod munus ferendi testimonii declinare nequeat.

6 Dico 2. In causâ criminali, quâ agitur ad pœnam publicam, testes etiam laici non coguntur testificari, ita colligitur ex *c. Penult. hoc. tit. junctâ gl. ver. b. super. Imola n. 10. & tradit In hoc. in c. 10. hoc tit. n. 2. Abbas. n. 6.* contra Hostiensem in summâ *hoc. tit. n. 2.* ubi tamen testatur communi opinioni ad hæreretur curiam Romanam, ratio est, tum quia ex tali testimonio inimicitia & odium incurri potest, tum quia aliquo modo inhumanum est, ad pœnam hominis præsertim mortis aut mutilationis membrorum cooperari, quare secundum canones irregularitas ex defectu lenitatis ex hâc causâ contrahitur, quare Clerici minus etiam, quàm laici ad ferendum testimonium in causâ huiusmodi criminali cogi debent, uti docuit *lib. 3. Th. Mor. Tract. 3. p. 3. cap. 7. n. 2. & 3.* Idemque sentiendum de laicis, qui ad clericatum aspirant teste *Farin. q. 58. n. 202.*

Excipe 1. Si veritas aliter cognosci non potest, tum testes laici cogantur etiam in criminalibus esse testes, teste *Innoc. cit. n. 1. & ibid. Imola & Abbate n. 6. & sumitur ex c. Peruenit. 5. hoc tit.*

Excipe 2. Si testis laicus malitiosè se subtrahat, vel pars aduersa malitiosè impediatur testis productionem, uti hîc notauit *Innoc. & sumitur ex hoc c.*

Porro discriminem est inter causam civilem & criminalem; nam personæ non priuilegiatæ si à testimonio eximere se velint, ostendere debent se iustam recusandi causam habere, & veritatem per alios cognosci posse, cum alioqui suspectas se redderent; & verò

in causâ criminali præsumptio non est contra laicum testari recusantem, sed ut cogatur, ostendi debet, saltem coniecturis, quod malitiosè se subtrahat, aut testimonium eius necessarium sit, uti hîc docet *Anton. & Imola. n. 5.* loquimur autem secundum jus Canonicum, nam spectato jure civili, etiam in causâ criminali testes laici ordinariè coguntur. *argum. huius capituli & tradit gl. in l. Si quando. 19. ver. b. causis. C. de testib. dummodò iudex juridicè interroget testes de crimine non omninò occulto, sed cuius publicam aliquam notitiam accepit.*

Excipe 3. Quod ad testificandum de criminibus exceptis, aut in futurum perniciosis, indifferenter cogi possunt laici, teste *Innocentio in c. 10. n. 5. 70. Andream in c. Dilect. n. 9. Imola. n. 7. hoc tit.*

Excipe 4. Si de crimine agatur civiliter ad restitutionem seu damni compensationem, vel si agatur per modum denuntiationis charitatiuæ, aut Canonicæ ad peccatum impediendum, vel paternè puniendum, item ne indignus promoueatur ad prælaturam, vel dignitatem, aut ut ab eâ remoueatur, juxta ea, quæ docet *Innoc. in c. Cum contra. hoc tit. Farin. n. 155.*

Excipe 5. Si agatur de crimine non directè ad pœnam, sed per modum exceptionis ad repellendum v. g. actorem, vel testem, uti docet *Innoc. in cit. c. Cum contra. verb. sed nonne. & alii apud Farin. n. 163.*

Excipe vltimò: quod in causâ criminali testis productus à Reo ad innocentiam eius ostendendam haud dubiè compelli possit ad veritatem dicendam.

CAPITVLVM IV.

Peruenit.

PARAPHRASIS.

Prior S. Laurentii cum de Simoniâ & adulterio accusatus esset, quendam, qui ab accusatore in testem producendus erat, juramento astrinxit, ne contra ipsum deponeret, hoc intellectu, scribit Alexander III. cum nemo suo aduersario subtrahere

re debeat instrumenta, quorum appellatione testes etiam comprehenduntur & cum tam is, qui aduersario instrumenta subripit, quam is, qui aduersario parem aduocationis seu defensionis copiam subtrahit, iniquam se causam fouere ostendat, ideòque experiri debeat iudicis à se auctoritatem elusam esse, ob hæc testem illum ad detegendam fraudem & calliditatem prioris, compelli debere, vt testificetur.

SYMMARIUM.

1. Testis, qui denunciato vel accusato jurat, quòd contra ipsum in causa criminali testari nolit, cogendus est.
2. Cantela iudici in hac re obseruanda.
3. Nomine instrumentorum etiam testes comprehenduntur.
4. Aduersario suo copiam probationis, aut defensionis subtrahens, præsumitur iniquam causam fouere, & iudicis auctoritatem velle eludere.

NOTA I. Testis qui denunciato vel accusato jurat, quòd contra ipsum in causa criminali testari nolit, cogendus est in odium accusati, vel denunciati, ita *gl. hic. verb. juram.* vbi ait tale iuramentum irritum esse, cum sit contra bonos mores & publicam utilitatem: consultum tamen est vt iudex priùs declaret iuramentum non valere, vel jurantem ad cautelam absoluat, ne videatur periurum ad acta testimonii admittere, ita vt minor fides eius dicto adhibenda sit, vt colligitur ex *c. ult. juncta gl. verb. absoluas hoc. tit.*

Còterùm non rectè tradit *gl. fin. hic.* testem in hoc casu compellendum esse testari duntaxat super fraude commissà; non item super crimine principali. Contrarium enim rectè docet *Abbas. n. 2.* nam tunc efficaciter fraudis commentum detegeretur, si insuper testis de crimine testificetur, vt appareat, quòd Reus criminis tegendi causam malitiosè testem ad jurandum induxerit.

Nota II. Instrumentorum nomine latè

accepto etiam testes comprehenduntur, vt *hic & l. 1. ff. de fide instrum.* nam instrumenta dicuntur probationes, quibus causa & iudicis notitia instruitur cuiusmodi non tantum sunt chartæ seu scripturæ authenticæ sed etiam testium dicta, propriè tamen ac strictè instrumenta pro scripturis tantum accipiuntur, vt constat ex *c. Cum dilectus. 9. de fide instrum.*

Nota III. Qui aduersario suo copiam probationis, aut defensionis subtrahit, iniquam se causam fouere ostendit (intellige secundum præsumptionem) & iudicis auctoritatem eludere velle censetur, propterea quòd iudex in causam, vt oportet, instrui non possit, ita habetur in *l. Providendum. 7. de postulando.*

CAPITVLVM V.

Peruenit.

PARAPHRASIS.

Relatum fuit ad Alexandrum III. Quòd aliquando accidat, vt Clerico à laicis enormis iniuria inferatur multis præsentibus, & si læsus illos in iudicium trahat, vt Reus, ipsique negent facinus, qui vt præsentibus in testimonium producantur ferre recusent: mandat igitur Episcopo Segouienfi, vt ii, qui de rebus Ecclesiæ testari recusant, si aliter veritas cognosci non potest, per censuram compellantur.

SYMMARIUM.

1. Iniuriam Clerico quo ad suam personam illatam à laico cognoscere potest etiam iudex Ecclesiasticus.
2. Qui proinde testes ad testificandum necessarios compellere potest.
3. Secundum forum Canonicum etiam in causa criminali testis cogitur testificari, si veritas aliter haberi nequeat.

NOTA I. Si iniuria Clerico quoad personam eius inferatur à laico, tum iudex etiam Ecclesiasticus cognoscere potest; quia

quia est species sacrilegii, ideoque crimen mixti fori, ut dixi in c. *Cum sit. 8. de foro comper.* cum Ordinarius sit iudex causae huius, consequenter etiam testes compellere potest ad testificandum, quatenus eorum testimonium necessarium est.

Nota II. Secundum forum Canonicum etiam in causa criminali testis cogitur testificari, si veritas aliter cognosci nequeat, ut docui supra in cit. c. 3. & sumitur ex hoc c. cum enim ex Pontifice quaesitum esset, num ii, qui commisso facinori praesentes fuerunt, si testificari nolint, cogi debeant, ipse generalem dat responsum in rebus seu causis istis Ecclesiasticis, semper esse cogendos testes, si veritas aliter cognosci non possit, itaque hoc ordinariè verum est siue sit causa civilis, siue criminalis, & ita docent hic *Imola, Abbas, Felin. & alii.*

CAPITVLVM VI.

Cæterum.

PARAPHRASIS.

Dubitandum non est, quod testis productus super consanguinitate testimonium ferre cogendus sit, si constet eum ex gratia odio vel timore, veritatem suppressurum velle, cum id tam ius scriptum approbet, quam consuetudo actibus ventium comprobata.

SYMMARIVM.

1. Qui testari recusat timore personae à qua sibi malum inferendum metuit, ad testificandum cogendus.
2. Ius scriptum si consuetudine diuturna approbatum & confirmatum sit, magnam vim habet.

NOTA I. Testis secundum forum Ecclesiasticum cogitur testificari, si constet eum vnius partis favore vel alterius odio aut denique timore mali sustinendi veritatem occultare velle. Quod verò in textu dicitur si de hoc constet, bene expli-

cat gl. praesumptiue, si enim causam non afferat probabilem testis, cur nolit testificari, tunc praesumptio est, quod id agat veritatis suppressor causa propter affectionem aliquam.

Quaeres: de quo timore sermo sit. Resp. de timore personae, quae testi malum irrogabit, si testimonium contra eam dixerit, huic enim malitiae occurrere debet, ut in tali casu testis compellatur. *argum. c. 4. hoc tit.* non autem sermo est de timore ac reuerentia iuramenti, si persona pia, aut religiosa vereatur iuramentum iudiciale, non quod jurare secundum se illicitum arbitretur, sed quia aestimet rem sublimem ac tremendam esse, quod homo in testimonium dicti Deum inuocet: quae ratio spectat à qualitate personae, quandoque rationalis censeri potest, ut ad iurandum non cogatur, si veritas per alios cognosci queat, ut hic *Abbas* tradit.

Nota II. Si ius scriptum consuetudine diuturna approbatum & confirmatum sit, magnam vim habet, de hoc dixi in *lib. 10. Th. Mor. Tract. 4. cap. ult. n. 3.*

CAPITVLVM VII.

Præterea.

PARAPHRASIS.

Si testes publici, qui Synodales quibusdam in locis vocantur, coram Ordinario, vel Capitulo super impedimento matrimonii testimonium protulerunt, & postea causa alicui iudici delegetur, non debent coram eo iterum adduci ad iurandum, nisi iudex veritatem aliter cognoscere nequeat, vel nisi nouus articulus quaestionis emergat, & eiusmodi testes publici propter infamiam superuenientem ipsis, postquam in communi Synodo recepti, ac deputati sunt, à ferendo testimonio repellere possunt. Denique si testes isti in proferendo testimonio re non rectè considerata errauerint & in continenti corrigere velint, audiendi sunt, secus, si interuallum intercessit.

Pro-

Pro intellectu sciendum, quod in *c. Episcopus* 7. *causâ* 35. *q. 6.* decretum est, ut Episcopus in Synodo septem viros ex plebe maturiores, honoratiores ac veraciores constituat, qui juramento se astringant, quod quæcunque intellexerint in diocesi fieri contra Dei voluntatem, & rectam christianitatem, si ad Episcopalem jurisdictionem pertineant, Episcopo fideliter ac sincere denunciare velint, quatenus ea cognita habent, cuiusmodi Synodales seu in Synodo constituti testes proprie non possunt censeré judiciales, cum non jurent in presentia partis, sed potius sunt denuntiatores & quidem publici seu ex publico officio obligati & jurati.

SUMMARIUM.

1. Denuntiator publicus non debet adhiberi testis in iudicio; si alius adsit, etsi agatur tantum denunciatiue ad peccatum impediendum.
2. Si alii testes haberi nequeant, etiam denuntiator in testem adhibetur, maxime si sit officialis publicus.
3. Officialis hic in testem producendus iterum jurare debet de veritate dicenda.
4. Si testis in continenti suum dictum corrigat, audiendus est.
5. Vt etiam pars litigans, si suam confessionem in continenti reuocet.
6. Officiales publici, praesertim Ecclesiasticorum Pralatorum, non debent esse infames, sed praeter alios honesti, veraces & iustitia amantes.
7. Cathedrale capitulum quandoque causas Matrimoniales cognoscere potest. Et in quibus casibus.

Nota I. Denuntiator publicus non debet adhiberi testis in iudicio, si alii testes haberi possint, tamen tantum agatur denunciatiue ad impediendum peccatum: ratio est, nam denuntiator est, qui crimen defert ad iudicem, ideoque quodammodo actor est, ideo non est conueniens, ut idem quoque sit testis,

Nota II. Si alii testes haberi non possint, tum etiam denuntiator in testem adhibetur, maxime si sit officialis publicus, ut in casu huius capituli: & docui in *c. Omni* 5. *de testibus*, necesse tamen est, ut talis officialis, cum in testem producit, iterum juret de veritate dicenda: ratio est, tum quia antea generaliter iurauerat denunciare fideliter, quæ nouit; jam autem specialiter jurat super hoc facto; specialis autem promissio seu obligatio plus constringere censetur, quam generalis, tum quia tamen ponamus quod specialiter iurasset coram Ordinario vera esse, quæ denuntiat, tamen iuramentum editum non est presente parte, & ordinariè loquendo, id alienum à jure censetur, ut probationes judiciales in ordine ad condemnandum reum accipiantur, priusquam is citatus & processus contra eum coeptus sit, videri possunt DD. in *l. Eâ* 7. *de accusat.*

Nota III. Sitestis in continenti, seu anrequam ad alia negotia se transferat, seu ex conspectu iudicis abeat, suum dictum corrigat, eius correctio seu erroris reuocatio admitti debet, secus si per interuallum; quanquam in hac re etiam multum tribui debet iudicis arbitrio, ut non tantum ad temporis continuitatem aut interiectionem attendat, sed etiam circumstantias personarum & modum reuocationis, ut intelligere possit iudex, num reuocando testis vacillet, necne, uti *Innocentius* hic notat. *Abbas*, n. 12. & *Felinus*. eod. n.

Porro sicuti testis in continenti errorem suum reuocare potest, ita etiam pars litigans suam confessionem, sicuti allegato hoc textu docet *gl. in c. Apud* 10. *verb. reuertatur*, *causâ* 32. *q. 1.* *Abbas*. *hic*. n. 9. ubi rectè monet, si testis, aut pars litigans dictum, vel confessionem suam in continenti reuocet, & alia contra eum praesumptio mentis vacillantis non sit, credendum ipsi esse, tamen erroris causam nullam afferat, alioquin ista reuocatio non differret ab eâ, quæ fit per interuallum, quandoquidem & talis reuocatio, si probabili erroris ratione nixa sit, acceptatur, antequam

quam sententia, quæ in rem iudicatam transeat, lata sit, uti constat ex *c. vlt. de confessis*. ubi id docui etiam ex *l. Error. 7. de juris & facti ignorantia*. & videri potest *c. 3. iuncta gloss. verb. iusta. de iure iurando in 6.*

6 Nota IV. Officiales publici præsertim Ecclesiasticorum Prælatorum, non debent esse infames, sed præ aliis honesti, veraces & iustitiæ amantes, ut ex *hoc. c. Colligitur.* & ex *cit. c. Episcopus.*

7 Nota V. Cathedrale capitulum causas quandoque matrimoniales cognoscere potest, videlicet Sede Apostolicâ vacante, vel si diuturnâ consuetudine talem cognoscendi facultatem cum bonâ fide vsuceperit, secundum *gl. in c. Literas. 13. verb. intra. de restitut. spoliat.*

CAPITVLVM VIII.

Super his.

PARAPHRASIS.

Contra electum Episcopum Lucanum quidam Canonici se opposuerunt obiectantes ei crimina, & super hoc literas ad Pontificem tanquam à maiore parte capituli destinatas miserunt, super his Innoc. III. quibusdam commisit inquisitionem adiiciens, ut testes, qui producti fuerint, compellant dicere veritatem.

SUMMARIVM.

2. Testes compelli possunt, ut testentur, si de crimine ciuilitè, vel per modum inquisitionis agatur.

NOT. Vnicum. Testes compelli possunt ad testificandum, si de crimine agatur ciuilitè seu per modum inquisitionis, ne indignus ad Prælaturam promoueat, uti docui in *c. 3. assert. 2. except. 3. hoc. tit.*

CAPITVLVM IX.

Cum contra.

PARAPHRASIS.

Magister Rudolphus dicebatur falsas literas à Sede Apostolicâ reportasse, iisque per sese, vel procuratorem vsu sum fuisse; quærebatur, num testes producti super hoc crimine falsi, cogi debeant ad testificandum. Respondet Innoc. III. si se gratiâ, odio, aut timore subtraxerint, per censuram Ecclesiasticam compellendos esse.

HOC CAP. NON SUMMATVR.

NOT. Vnic. Si testis productus malitiosè se subtrahere, vel pars aduersa testificationem malitiosè impedire velit, tum ille cogi potest ad testificandum etiam in causâ criminali, id tamen solùm intelligi debet de teste laico, si tale crimen sit, ut pœnâ sanguinis puniri soleat, & non sit perniciosum in futurum, seu exceptum.

CAPITVLVM X.

Dilectorum.

PARAPHRASIS.

Capitulum Ecclesiæ Vulturanae & Episcopus Vulturanus per procuratores ligabant coram iudicibus ab Honorio III. delegatis, quibus hinc respondet Papa, ut testes præterquam super criminibus (si se gratiâ, odio vel timore subtrahant) per censuram Ecclesiasticam cogant ad veritatem dicendam.

HOC C. NON SUMMATVR.

NOT. Vnic. In causâ ciuili testis plerumque cogi potest ad testificandum, quia videtur se gratiâ, odio vel timore subtrahere, at verò in causâ criminali talis præsumptio non est, ita arbitror intelligendum hoc capitulum, ut cum reliquis iuribus consentiat.

CAP.

CAPITVLVM VLTIMVM.

Venerabilis.

PARAPHRASIS.

Cervicenses cives cum duobus Clericis Ravennatenſis Eccleſiæ coniurauerunt contra Archiepiſcopum Ravennatenſem, dantes iſtis pecuniam, & jurare facientes ad hoc celandum; poſtea Archiepiſcopus ſuper hâc re litteras à ſede Apoſtolicâ impetravit ad iudices delegatos, eoram quibus cùm intentionem ſuam probare non poſſet, niſi per ciues, qui dictum iuramentum ediderant, ideò ne ob teſtium defectum iuſtitia cauſæ pereat, petiuit ab Honorio III. provideri. quare iſ ſcribit ad iudices illos, vt præviâ monitione per cenſuram compellant eos, quos compellendos putauerint ad abſoluendos teſtes à iuramento præſtito, ac deinde teſtes iſtos, ſi gratiâ, odio, vel timore ſe ſubtra-

xerint, ſimiliter per cenſuram cogant ad ferendum teſtimonium.

SUMMARIUM.

1. Coniurantes contra Episcopum accuſari poſſunt tanquam de graui crimine.
2. Jurans ſe non dicturum teſtimonium in iudicio, id ſi poſtea neceſſarium ſit, jurans prius ad cautelam à iuramento eſt abſoluendus.

Not. I. Si qui contra Episcopum coniurationem ſeu cõſpirationem faciant, de hoc tanquam graui crimine accuſari poſſunt, quâ de re vide c. Coniurat. 21. & ſeq. cauſâ 9. q. 1. gl. hîc. verb. Coniurat. Abbatem & Felin. n. 2.

Not. II. Qui iurauit ſe teſtimonium non dicturum in iudicio, ſi poſtea eius teſtimonium neceſſarium ſit, abſoluendus eſt prius à iuramento ad cautelam, & maiorem ſecuritatem, vt hîc gl. tradiſ. verb. Iuramento. & dixi in cap. 4. hoc tit.

TITVLVS XXII.

DE FIDE INSTRUMENTORUM.

Rostquam de præcipuâ ſpecie probationis actum eſt, quæ ſit per teſtes, ſequitur, vt de altero probandi modo agatur, videlicet per instrumenta, id eſt, ſcripturas publicas, & priuatas, quibus res geſta, & in iudicium deducta oſtendi poteſt.

CAPITVLVM I.

Si Scripturam.

PARAPHRASIS.

Exemplo ſeu transcripto non creditur niſi originale, vel authentica ſcriptura exhibetur, aut de eâ fides fiat.

SUMMARIUM.

1. Scriptura alia publica, alia priuata. Publica eſt, qua manu Notarij legitime conſecta eſt.

2. Solemnitates reuoluntur, quæ in tali publica Scriptura adhiberi ſolent.

3. Scriptura publica quandoque appellari ſolet qua apud acta publica iudicii conſecta eſt. & hac etiam authentica eſt, modo raſura, vel alius defectus fraudis ſuſpicionem non moueat.

4. Scriptura priuata alia eſt authentica, alia non authentica. quid utraque ſit, & qua reſquiſita.

5. Exemplum ſeu transcriptum nihil probat abſque originali, niſi per manu Notarij, aliâque ſufficientia teſtimonia ei fides fiat.

In primis aduertendum, quòd Scriptura alia publica ſit, alia priuata, Scriptura publica eſt; quæ manu Notarij legitime conſecta eſt, ſolemnitates autem, quas Notarij in conſciendis instrumentis adhibere ſolent, enumerat Dur. in ſpeculo lib. 2. p. 2. de instrumenti editione. §. 2. & 4. Abbas & Felin. hîc. videlicet